Handschrift

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8293
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

revelatum per intellectum sacre scripture. vel per visionem
dei miraculorum. Ut sancto Donato fuit revelatum per
fractionem calicis. quod non debet populus laicalis sub
utraque specie sacramentali communicari mox retractavit.
et penituit. et nunquam aliquem quomodo laicum vel
laicam sub utraque specie sacramentali communicavit. et alijs
consuluit quod hoc idem facerent. et nullum per amplius
sub utraque specie sacramentali. prout consultum fuit
eis a Sanctis patribus. Alij vero communicaverunt populum
laicalem sub utraque specie sacramentali ex pura malicia
et errore sicut heretici fecerunt. Nestorius et Pellagius
et eorum sequaces. Nestorius ea ratione populum laicalem
sub utraque specie sacramentali communicavit. dicens quod sub
specie panis tantum est corpus christi. et sub specie vini tantum
est sanguis christi. Et assignabat rationem. Quia feria
sexta magna corpus christi fuit divisum a sanguine. et
sanguis a corpore. Et sic eciam credebat esse in sacramento
quod corpus esset divisum a sanguine. et sanguis a corpore
quod est error pessimus. Quia ubi est corpus christi. ibi est
et sanguis eius. Et econverso. Ubi est sanguis eius.
ibi est et corpus eius. ut postea melius patebit. Et pro
illo quod ita divisum populum laicalem communicavit sub utraque
specie sacramentali. abiudicatus est pro heretico et omnes
sui sequaces. Pellagius vero et sui
sequaces communicaverunt populum laicalem. sub utraque specie
sacramentali. Unde intelligentes textum christi Johannis
vj capitulo. Ubi christus dixit Nisi carnem filij hominis man-
ducaveritis et biberitis eius sanguinem non habe-
bitis vitam in vobis. Ubi intelligebant literaliter et
carnaliter et non spiritualiter ut prius dictum est. Et sic de-
cepti errore illo pessimo inducebant. ut pueri post
baptismum communicarent sacramentaliter sub utraque specie
sacramentali. Et si speciem panis sacramentalis sumere
non possent quod contereretur cum sanguine. et in-
funderetur eis in os. et si eiceret ut hoc comburetur
assignantes scripturam Job Exo. xij capitulo. Siquid residuum
fuerit igne comburatur. Et rationem assignabant quare
pueri debebant communicari sub utraque specie sacramentali
Quia innocentes et cum non sint superbi avari
invidi luxuriosi. nec alijs peccatis obnoxij Contra
heresim repugnat Sanctus thomas in quarta parte
suarum distinctionum distinctione nona. ubi dicit. Quod pueris
non datur hoc sacramentum. quia ad percepcionem huius
sacramenti non sufficit sola innocencia sed alia plura
requiruntur Quia primo ad sumpcionem huius sacramenti
requiritur cognitio inter cibum corporalem et sacramenta-
lem. et discrecionem non habent pueri ideo non datur eis
Secundo requiritur devocio propter hoc non datur dementibus et pueris
quia non habent devocionem nec sciunt se ad eadem disponere